

.xiii. OMELIA IN DIE THEOPHANIAE .

[.i.] PRedicanda sunt et recolenda miracula fratres karissimi et uirtutes . quę huius solemnitate dies peracta sunt ; multa enim hodie fecit iesus mirabilia . Quia in prima natiuitate secundum humanitatem se caelari ; in secunda autem per baptismi sacramentum secundum diuinę naturę excellentiam demonstrari uoluit uirtutibus . Uenerandus est igitur hic dies . in quo cum uirtutibus saluator mundi apparuit . quem prophete predixerunt . angeli adorauerunt . et magi ab oriente adorare eum uenientes annuntiauerunt iudeis . [.ii.] Iam ergo fratres percaelebrauimus diem . in quo ex iudaeis idem natus est dominus . Hodie uero cęlebramus festiuitatem . in qua agentibus adoratus est . quoniam salus ex iudaeis est ; sed hæc quidem salus . usque ad fines terrę dilatatur . In die enim natiuitatis eius pastores adorauerunt eum Hodie uero magi . illis angelii istis autem stella nuntiauit . Vtrique ergo de caelo didicerunt . cum regem /23v/ caeli super terram uiderunt ; ut esset gloria in excelsis deo . et in terra pax hominibus bone uoluntatis . Ipse est enim pax nostra qui fecit cęlum et terram mare et omnia que in eis sunt . Cui quidem cuncta famulantur imperia . cęlestium terrestrium . et infernalium . [.iii.] Multa itaque prophetauit balaam qui erat uatis gentium . posteris suis de christo dicens . Orietur stella ex iacob . et exsurget homo de israel . et confringet omnes duces alienigenarum . et erit omnis terra possessio eius . et in nomine eius gentes sperabunt . Sed cum uideritis signum eius in cęlo . ite cum muneribus adorare eum . Magi ergo obseruabant sidera in kalendis ianuariis in capite circuli redeuntis . si stella prophetam uiderent . [.iiii.] Post multum

uero temporis uidentes ortam esse stellam . dixerunt
ad inuicem . Hoc signum magni regis est . eamus et in
quiramus eum . et offeramus ei munera . aurum . thus .
et mirram . Cum ergo natus esset iesus in bethleem
iuda in diebus herodis regis . ecce magi ab orienta ue
nerunt hierosolimam dicentes . Ubi est qui natus est
rex iudeorum? Uidimus enim stellam eius in oriente .
et uenimus adorare eum . [.v.] Quos cum audisset herodes
rex contremuit . et omnis hierosolima cum eo interro
gans et dicens . Quod signum uidistis super natum regem?
At illi respondentes dixerunt . Stellam magnam fulgentem .
cuius splendor inluminat mundum . et nos cognoui
mus et uenimus adorare eum . Et tunc uocauit omnes princi
pes sacerdotum et magistros . interrogans ab eis ubi christus
nasceretur . At illi dixerunt . In bethleem iuda . sic enim
/24r/ per mihiam¹ prophetam scriptum est . Tu bethleem terra
iuda non eris minima in principibus iuda . ex te enim
exiet² dux . qui regat populum meum israel . [.vi.] At illi continuo
audientes locum abierunt . et stella quam uiderant
in oriente apparuit illis abeuntibus . et stetit supra ubi
erat puer . Et cum inuenissent eum in domo cum maria matre
eius . procidentes . id est genua flectentes adorauerunt eum
dicentes . Adoramus te . Glorificamus te . Magnificamus
te . Et apertis thesauris suis . obtulerunt ei munera .
aurum . thus . et myrram . Quid significant haec munera?
nisi animam et corpus et spiritum . per quae si immaculate offe
ramus . d<e>o placere ualeamus . Tria sunt ergo munera
pretiosa quae obtulerunt magi domino in die ista . et habent in
se diuina misteria . per tus³ enim deus . per aurum . rex regum
et dominus dominantium . per myrram . simplex humanitas de
signatur . Iterum per aurum . sapientia et splendor elo

quii . per thus . oratio munda . per myrram . mortificatio uitio-
rum signatur . Ideo tria hec munera accepit iesus ab uno
quoque magorum . quia trinus et unus est . Trinus est
enim in personis . et unus in substantia . significans quod
tria munera ab uno quoque homine exiguntur .

Id est recta cogitatio . et locutio bona . et opus perfectum .

Idcirco autem myrra inter dona reputatur christi . quia
unguentum pretiosum est et optimum . quo corpora de-
functorum solent ungeri ut imputribilia perseuerent .

Et ideo ex ipso unctum est corpus iesu ne putresceret in
morte . quam uoluntarie pro nostra redemptione et salute
suscepit . sicut de eo et omnibus sanctis eius propheta testatur dicens ;
*/24v/ Pretiosa est in conspectu domini . mors sanctorum eius . Post haec
autem ammoniti sunt magi né redirent ad herodem per
somnia . sed per aliam uiam ad regionem propriam redirent⁴ .*

Magi ergo spiritaliter omnes homines significant . qui per inuidiam
diaboli de paradyso eiecti sunt . Et ideo per aliam uiam . hoc est
per bonam conuersationem relicto herode . id est diabolo
cum suis artificiis . iterum debent redire ad patriam . Ut quem
admodum magi per aliam uiam reuersi sunt ad regionem . ita et nos
per fidem et castitatem et caritatem et continentiam . redeamus
ad regionem nostram caelestem . Sed si forte aliquis querat
quomodo id fieri possit . audiat prophetam dicentem .

Diuertere a malo et fac bonum . inquire pacem et sequere
eam . Hoc enim ordine per aliam uiam . reuertitur ad caeles-
tem patriam . Nobis igitur sciendum est fratres karissimi . quod magorum
itinera feliciter possumus imitari . si hoc ordine uias mor-
tiferas mundi relinquentes . uias uitę tenere uoluerimus .

Videtur enim nobis quod iam per aliam uiam ad patriam remeat .
qui prius solens res alięnas rapere et tollere . iam nunc
suas pauperibus misericorditer erogat substantias . Et iterum

uidetur quod iam per aliam uiam procedit . qui aliquando fuerat
adulter . et modo iam castitatem . moribus exercet . et qui
pro aebrietate sobrietatem . et pro inuidia benignitatem ama
re uidetur . et alia multa . Hoc siquidem ordine ; feli
citer possumus ad aeternam beatitudinem peruenire ; pre
stante domino nostro iesu christo . qui cum patre et spiritu sancto uiuit et
regnat in secula seculorum . amen .

- ¹ mihiam] *a later hand has altered to mi`c`hiam*
- ² exiet] *a later hand has altered to exi`et´ et*
- ³ tus] *a later hand has altered to t`h´us*
- ⁴ redirent] MS rearent, *altered by a later hand to reirent*